Quelle: https://manuscripta.at/?ID=26048
Copyright: Admont, Benediktinerstift

putruerunt. Scriptum namque est: Ante ruinam exaltatur cor. Ibi ergo feriuntur ubi superbiunt. Unde scriptum est: Contrivi cor eorum fornicans et recedens a me. Interius enim fornicari est exterius vicijs delectari. Magna autem contritio cordis est hec eadem elatio superbientis. Eo ipso quippe ab integritate salutis corruit, quo iactantia cuiuslibet virtutis intumescit. Superbientes enim deum despiciunt et relicta creatoris sui gloria propriam querunt. Que autem maior potest esse contritio quam deserto creatore creaturam querere, desertis supernis gaudijs infimis rebus inhiare? Unde bene per prophetam dicitur: Humiliatur autem peccatores usque ad terram. Amissis autem celestibus terrenum est omne quod sitiunt, et dum plus videri conantur, minus est quod appetunt. De quibus recte per Ieremiam dicitur: Recedentes a te in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viventium dominum. At contra de electis dicitur: Gaudete quod nomina vestra scripta sunt in celis. Ista ergo contritio prius serpit in mente, ut postmodum procedat in opere. Prius fundamentum cogitationis concutit, ut postmodum fabricam operationis allidat. Unde summa cura est satagendum ut illic vincatur ubi oritur. Scriptum namque est: Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit. Et rursum scriptum est: Ex corde enim exeunt

cogitationes male. Intus enim vigilandum est ne mens dum extollitur cadat. Intus servemus omne quod foras agimus. Si enim semel medullam cordis elationis putredo consumpserit, citius corruit cortex vacua externe visionis. Notandum vero est quia dum alijs cadentibus ad standum alii solidari perhibentur, electorum numerus certus ac definitus ostenditur. Unde etiam Philadelfie ecclesie per angelum dicitur: Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam. Hac ergo sententia qua narratur aliorum erigi, aliorum vitam aut confringi, et spes nutritur humilium et elatio premitur superborum, dum et illi bona possunt amittere de quibus superbiunt, et isti ea percipere que quia non habebant contempnunt. Formidemus ergo in hijs que accepimus, nec eos qui necdum illa consecuti sunt despiciamus. Quod enim sumus hodie novimus, quid autem post paululum possimus esse nescimus. Hij vero quos fortasse despicimus et tarde possunt incipere et tamen vitam nostram ferventioribus studijs anteire. Timendum itaque est ne etiam nobis cadentibus surgant qui a nobis irridentur. Quamvis stare iam non novit qui non stantem novit irridere. Hinc ergo superiorum auditorum metum Paulus apostolus discipulorum cordibus incutiens ait: Qui se existimat stare videat ne ca